

veret, eâq; quidem majore, quò corpus per quod cerneretur, crassius esset & solidius. Quæcunq; enim per vapores, aquam, vitrum, crySTALLUM aliudve *Alq. Quidam* puro aëre densius cernuntur, ea visum decipiunt magnitudine, formâ, situ, numeroq; juxta variam *78 Alq. Quidam* figuram.

Th. XX. Transeamus ad alias Observaciones. Bernhardus VValtherus Norimbergensis Regiomontani non degener discipulus ad diem 7. Martii An. 1489. annotat, se antequam Alhazen & Vitellonis Opticen vidisset, in observationibus per spheram armillare sæpius animadvertisse, quod astra circa Horizontem per radios refractos supra eundem aspectui objiciantur, cum re ipsa sub eo sint, ideò se pro corrigenda differentia ex veri & apparentis loci discrimine obortâ, postea perpendiculo fuisse usum.

Th. XXI. *Plinius* Naturæ mystes celeberrimus lib. II. c. 13. refert, Lunam aliquando fuisse conspectam deficientem utroq; Luminari existente supra Terram. Et antè laudatus Mæstlinus anno 1590 die 7 Julii Tubingæ vidit Solis centro supra Horizontis planum emergente, Lunam ab australi ora vel parte corporis aliquot digitis jam deficientem, duobus penè gradibus elevatam: Et contra Lunæ centro sub Occasum descendente notavit Solis supra Horizontem duorum graduum altitudinem, cum tamen Luna occiderit, priusquam ad maximam obscuritatem devenerat.

Th. XXII. Produci hîc etiam posset V Vilhelmus Landgravius Hassiæ, Heros laudatissimus & verè principibus Mathematicorû accensendus. Is ad Tychonem stupendum illud Matheseos oraculum ann. 1586. scribit; se aliquot annis refractionem valde sensibilem, tum in Sole, tum in Stellis cæteris circa Horizontem invenisse; semel etiam Veneris stellam occidentem quàm diligentissimè observasse ad horæ penè quadrantem stationariam apparentem, adeò ut eo tempore raptu primi mobilis nihil moveretur. Cujus rei ratio ex Opticis reddi potest, quod Stellæ ex refractionibus tardius circa Horizontem moveri videantur.

Th. XXIII. Cum igitur in Nova Zembla per 82 dies naturales nocte continuam dieiq; oblitam transegissent Hollandi, interim ob Solis diuturnam absentiam vapores crassiores facti sunt magisq; cõpacti, undè Sol ad emersionem festinans, refractionem majorem & insolentem ad 5 fermè gradus altitudinis, h. e. halitibus fumisq; quasi supra finitorem collectis & concretis imaginem magis claram constantioremq; impressit. Simulachrum igitur Solis in nubibus à Sole formatum ad oculos Batavorum delatum esse, ex his quæ diximus, manifestum est. Id quod omnes fateri necesse habent, qui refractionum naturam paulò penitiùs ex Opticorum demonstratis & quotidiana experientia perspectam habent atq; cognitam.

Th. XXIV. Faxit Deus, spes mortalium optima maxima, ut atra illa belli nube, quæ toti Saxoniz à multis annis incubuit & subindè tēpestates & fulmina in nos immisit, abstersa & sublata, illucescat nobis divinæ misericordiz radius, & exorto Sole pacis ac tranquillitatis temperanter & justè & piè vivamus in presenti seculo expectantes beatam illam spem & illustrem adventum

*Gloriæ Magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi.*

*γένοίτο, γένοίτο.*

Tit. II. v. 12. 13.